

13

S A X O N I A,
M I S N I A,
A C
L V S A T I A.

*Termini
Saxonie
priscæ.*



Saxones in Germania agnoscit Ptolemæus, sed illic terminos eorum angustiores facit. Postea vero multum crevit eorum ditio, ut quæ ad septentrionem mari Balthico & Oceano; ad austrum Hercynio saltu

conclusa fuerit: ad ortum habuit Albim fluvium, ad Occasum Rhenum. Constat tamen, etiam ultra Albim Saxones multum terræ possedisse, imo vero ab Albi per littora maris Balthici, usque in Prussiam exstructis claris urbibus omnia tenuisse. Pulsis Chaucis, Bructeris, populisque omnibus inter Albim & Rhenum sitis, Saxones oram omnem littoris Germanici in sedere, cum Ostphalia & Westphalia, tentata etiam Gallia, in qua littus Saxonicum agnoscit Notitia Imperii; & occupata Insulæ Britannicæ parte: ob quam rem Saxones occidentales, apud posterioris ævi scriptores pro Anglis, orientales pro Germaniæ populis sæpenumero ponuntur, manetque hodie sermonis quoque cognatio. Nunc tam late non patet. Antiqua siquidem Saxoniam inter Albim & Rhenum fluvios, mare Germanicum, & Eydoram amnem usque ad Hassiam & Thuringiam extendebatur, eratque ejus centrum Brunswicum. Itaque Westphalia, Marchia vetus, Misnia, Lusatia, Mansfeldia, aliæque complures Saxonie nomine vocabantur. Hodie non ita naturalibus limitibus, quales sunt flumina & montes, sed secundum Principum dominia & imperia terminatur.

*Saxonia
duplex.*

Dividitur in inferiorem & superiorem. Ad illam referuntur Ducatus *Laurenburgensis, Lumburgensis, Brunsvicensis*, ac Ducatus *Meckelenburgicus*. Superiorem hæc tabula exhibet, quæ vulgo *Ober-Saxen*, Ducatus titulo insignis, Ducem habet ex Electoribus septem, estque Octavus Imperii Circulus, tribus constans ordinibus, quorum primus est Episcoporum, Misnensis scilicet, Merseburgensis, Naumburgensis, Brandenburgensis, Haverburgensis, Lubecensis, Caminensis: Abbatum vero Salvelt, Rotterhausen, Falckenrieten; Abbatissarum autem, Quedelburg, & Genrode. Secundus ordo est Principum sæcularium, in quo sunt, Dux Saxonie Elector, Marchio Brandeburgensis Elector, Dux Pomeraniæ, *Germania.*

Princeps Anhaltinus, Comites Schwartzburg, Mansfeld, Stelburg, Hogenstein, Buchlingen, Rappin, Mullingen, Gleiche, Leifneck, Widersfeld, Dominus so de Plaw, Dominus de Gratz, & Dominus de Schonburg. Tertius ordo est civitatum liberarum, ut sunt, Dantiscum, Elbinga, aliæque. Ad orientem illi adjacet antiqua Marchia, ad occidentem Hassia, ad meridiem Thuringia & Misnia.

Primaria vero Saxonie superioris urbs est *Witeberga*, cui nomen non ab albis montibus, sita est enim in planitie, sed à Witikindo datum, Saxonice domus capite. Planitiem habet undique apertam, adeo ut eminens adventantes prospectari è vallo possint. Fossa urbem ambit ampla admodum & profunda, cum vallo lato pedes sexaginta. Ad ejus pedem murus est alter demissior, in usum tormentorum adversus consensionem dispositorum. Ambiunt urbem munimenta quinque, præter arcem, quæ in extrema urbis parte loco eminentiore sita, urbem, muros, suburbia despicit. Septentrionem versus munitur aditus palude, orientem versus Albi. Arcem veterem instituit Bernardus II, Alberti Vrsi filius, ex nobili familia Principum Anhaltinorum & Ascaniorum, cui Conradus II, Imperator ditionem Witebergicam confirmavit, eandemque contulit Electori Saxonie. Accessit postea ejus collationis confirmatio per Fredericum VI, Imperatorem. Ita factum est, ut diu admodum civitas ista Electoralis sedes habitata fuerit. Sepulti in ea sunt Duces & Ducum conjuges plurimæ. Porro templum, in quo tot principum cadavera recondita sunt, mutatum non nihil est à Ioanne Frederico Electore, translatis defunctorum ossibus in templum arcis. Hujus etiam se industria potissimum efferre cœpit civitas, modica hæc tamen, & non pro tantorum principum gloria. Hic pontem in Albi exstruxit: arcem de integro ædificavit: summum templum, quod est Vrsulæ & undecies mille virginum, fundavit. Condidit quoque cœnobium Eremitarum Augustinianorum, quod postea Academia cessit & habitationi Lutheri. Academia instituta fuit anno MDII. Sigillum Academiae datum hujusmodi: Effigies Frederici Electoris & fundatoris trabeata, cum ense & cum inscriptione, ME AVSPICE CœPIT WITEBERGA DOCERE.

Antiquissima Saxonum hæc sunt: Anno Christi
M sti